



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

V. Consistoriorum rationes seu computationes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

portunitatem ab ipsis defecerint, dicentes, *Malle se ultro peccata sua sacerdoti confiteri, quam exploratores eiusmodi ferre, a quibus ob verbum aliquod asperius quod vix uxori dixit, aut risum solutiorem, omnibus audientibus tam ignominiose traducantur. Neque enim vel minimum esse quod Consistorij effugiat censuram: quæ ipsa Hispanica Inquisitione multo sit durior.*

V. Unus ex senioribus Bardigalensis nostræ Curiaë caudicis narravit mihi, se, quum iuuenis adhuc militiæ illius reformatæ vexillis nomen dedisset, ad Consistorium aliquando fuisse delatum quod in virginis cuiusdam sinu manum immisisset; & quidem a Ministro, qui eandem virginem uxorem sibi ambiebat. Ille intellecta accusatione. Præsidi, & Senioribus aliisque Consistorialibus, inter quos & delator ille erat, adfidentibus, respondit, *Fateri se, manum in virginis sinu à se fuisse immisissam, sed non aliam ob causam, quam ut fertum sive corollam quam iuuenis ille Minister (expresso nomine) ei dederat, auferret. Addens, nequaquam sibi vel Ministerij gravitate, vel Consistorij dignitate, ipsius denique Ecclesiæ integritate dignum videri, ut talibus rebus Consistorium sese immisceat. Esse hoc hominum ocio suo & munere abutentium.* Tum Consistoriales omnes magno impetu consurrexerunt, non aliter quam si blasphemiam velut tonitruum fuissent exciti: se vero per ostium celeriter erupuisse, ac relicto sacro illo Senatu, postremum Vale religioni illi dixisse. Aiebat idem, inter Consistoriales illos fuisse sutorem, qui pedibus ipsius paulo ante calceos induxerat. Tot tantisque ineptiis ignoscas Lector rogo: quæ non possunt non auctorum suorum esse similes.

## DE ABUSIBUS ET SCANDALIS quæ circa Consistoria illa frequenter contingunt.

### CAPUT IX.

#### ARGUMENTUM.

- I. Seniores (quos vocant) vicinorum more & facta observant.
- II. De Scribis & libris Consistoriorum.
- III. Quam multis nugis h' referri.

IV. Intemperies Consistorialium in reprehendendo vestitum luxu.

V. Quam inutiles sæpe sint Consistoriales illa admonitiones & correctiones.

VI. Scandala inde orta.

VII. Consistorialis confessionis notabilis historia.

I. **Q**uid ergo est, quod Seniores illos ad explorandos vicinorum actus, etiam data ædes pro lubitu ingrediendi omniaque rimandi potestate, à Ministris in specula veluti constitutos latere possit? Quid tu putas non dicturam mulierem cerebrosam, iracundam, zelotypam, stultam; quæ bili sua & domum suam & totam viciniam possit percellere? Exploratores quidem isti idem speculum sæpe circumferunt, quod ille qui nihil præter nomen Romani habuit, non tam ut suam ipsi videant turpitudinem, sed ut aliorum errata vero maiora faciant atque ostendant. Postquam Lamia ista diligenter omnia excusserunt, & in commentarios relata, Consistorio legenda exhibuerunt: ad reum mittitur tabellio sive Monitor; qui si non se sistat, nomen eius à Ministro publice in concione citatur: quod si tertium vocatus, etiam emanat, à Cœnæ communionem excluditur. At si morigerum idem se præbeat: filium, Consistorio sistitur, & capite nudo in angulo aliquo stans, veniam non minus sollicite petit quam expectat: quæ tamen aliquando non datur, nisi crimen publice, ac sæpe coram inimicis suis falso: sicque etiam occulta crimina in lucem produuntur. Quæ sane acerbissima est, præsertim apud cordatos ac verecundos homines, animorum tortura.

II. Dum ita causa in Consistoriali illo iudicio ventilatur, scriba penes quem Iniquitatem Ecclesiæ sunt commentarij, & accusationem & confessionem, & sententiam diligenter perscribit. Hic vero plerumque uxorem habet & familiam, quam etiam libri huius vitæ ac Consistorialis thesauri beneficio facile potest alere. Quod vero secretum, quod silentium hic seruetur, Deus nouit. Certe non qui testis, sed qui iudex etiam fuerat, si postea ei cum reores sit, causæ suæ præsidium hinc petere sine vlla religione videmus. Librorum istiusmodi custodes sunt Ministri, qui eos non secus ac Parliamentorum Registra inferciunt: quibus legendis eorum uxores non tempus modo fallunt, sed commatrum se compotricum suarum vitam, egregie depictam intuentur. Reballius lepide ait,